

Ill/me ac R/me Domine.

Ill/mae D. V. litteras accepi, legique quas ad P.Robertum Nobilem miserat. Ex iis intellexi Madureae missionis negotia non satis explorata eo pervenisse; quod minus mirum mihi accidit intelligenti earum rerum notitiam ab iis qui non satis eas penetrarunt esse delatam. Ac in primis Ill/mae D.V. sciat oportet P.Robertum Nobilem nihil hactenus non solum sine superiorum suorum, sed neque sine mea auctoritate fecisse. Ego vero nihil inconsultis Societatis nostrae theologis statui, quam etiam rationem in omnibus P.Albertus Laercius hujus Provinciae tum Praepositus Provincialis accurate servavit. Illi porro theologi quorum auctoritatem P.Roberto adversari Ill/ma D.V. scribit Goensis Provinciae sunt, quos nihil mirum est non satis enucleate locutos, cum responderint ad eum modum quo fuerunt consulti, ab eo qui res Madureas nec satis norat, nec satis fideliter retulerat, ut videre poterit Ill/ma D.V. ex brevi tractatu, quem hic inclusum mitto; ad eum ac simul ad R.P.N. litteras fusiores me refero; solum affirmo Ill/mae D.V. nihil in Madureae missionis negotiis esse periculi aut scandali nec fuisse; neque inter Patres illius missionis ac reliquos est animorum ulla dissensio. Omnes eam expeditionem laudant, omnes necessarium et unicum divinae bonitatis inventum ad hanc gentem Christi lege imbuendam judicant; ac si forte paucorum est discors in opinando concordia, non nulla minutiora tangit, quae ita temperate nunc mihi videntur, ut nulli, qui quidem sit rei apud ethnicos christianae promovendae peritus et bene affectus, justus obloquendi titulus relictus esse videatur. Peto igitur ab Ill/ma D.V. ut proximis suis litteris Madureae missionis Patres animare ne gravetur, ac potissimum P.Robertum Nobilem, quem sine dubio Deus ad res magnas segregavit. Deus O.M. Ill/mam D/em V/am incolumem servare dignetur. Cranganore 19 Nov. 1613.

30

Ill/mae ac R/mae Amplit. V/ae humilis in Christo servus (adresse): Franciscus Archiep/s Cranganorensis.

Ill/mo ac R/mo D.D. Ruperto ! Bellarmino S.R.E. Cardinali Ampbissimo Arch. Vat. Gesuit. 18 f. 75. Orig. Romae. Archiep/s Crang...